

*Oratio Inauguralis.*

quæque, mortuo, superfluit monumenta, recenserem  
singula. Norunt hæc *Ætonenses*, Norunt & *Mertonen-*  
*ses*, quorum utrorumque Collegiis summa cum laude  
simul præfuit; imo *Oxonia* tota, & universa quidem  
Respublica literaria, norunt melius, quam ut mihi sit  
opus sigillatim illa repetendo singula immorari: eumq;  
ne posterius penitus ignorare possint, hujusce saltem diei  
& loci celebritas, & exercitia Mathematica, in omnia  
(spero) secula, ipso jubente, continuanda, prohibe-  
bunt.

Taceo igitur, summam quam habuit Græcarum li-  
terarum peritiam, & cognitionem limatissimam; qua  
in re vix ulli, per universum terrarum orbem, secun-  
dus erat. Unde hic solus selectus fuit, qui Serenissi-  
mam Angliæ Reginam ELIZABETHAM in  
Græcis literis instituat; & deinde ab Augustissimo  
JACOBO Rege, dum novam Sacri Codicis versio-  
nem Anglicanam parabat, accitus est *Savilius*, qui,  
cum aliis aliquot magni nominis viris, & linguarum  
peritissimis, operam hac in re navaret. Quod & sum-  
ma cum laude præstitit.

Sed & opera celeberrimi illius Græcorum Theologi,  
*Iohannis Chrysoctomi* Antiocheni, summa industria,  
incredibili labore, & indefessis vigiliis, ex variis col-  
latis exemplaribus Manuscriptis restituta, suis tandem  
sumptibus immensis, eleganti caractere, excusa edi-  
dit.

Egregium etiam illud *Bradwardini* opus (qui &  
ipse aliquando fuerat Collegii *Mertonensis* præfectus)  
quod, *De causa Dei*, inscribitur, adversus *Pelagium*,  
SAVILIUS noster ex Manuscriptis exemplaribus  
in publicam lucem protulit, & typis commisit.

Præter autem illa in Theologia (cui tamen ipse  
nomen non ex professo dederat) magni moliminis  
opera